



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda, Sev Ritvale Osnabrvgense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Benedictio mapparum seu linteraminum Altaris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

proprio benedicere  $\text{\textt{+}}$ , sanctificare  $\text{\textt{+}}$ , & consecrare  $\text{\textt{+}}$  digneris ; omnesque eis utentes, tuis mysteriis aptos ; & tibi in eis devote ac laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Oremus.

**D**omine Deus omnipotens, qui vestimenta, Pontificibus, Sacerdotibus, & Levitis in usum tabernaculi foederis necessaria, Moysen famulum tuum confidere jussisti, eumque spiritu sapientiae ad id peragendum replevisti : hæc vestimenta, in usum & cultum mysterii tui, benedicere  $\text{\textt{+}}$ , sanctificare  $\text{\textt{+}}$ , & consecrare  $\text{\textt{+}}$  digneris : atque ministros altaris tui, qui ea induerint, septiformis spiritus gratia dignanter repleri, atque castitatis stolâ, beatâ facias cum bonorum fructu operum ministerii congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. *Resp. Amen. Deinde aspergit ipsa indumenta aqua benedictâ.*

*Benedictio mapparum sive linteaminum  
Altaris.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

F f f

Ore-

Oremus.

**E**xaudi, Domine, preces nostras, & hæc linteamina, sacri Altaris usui præparata, benedicere **+** & sanctificare digneris. Per eundem Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

**D**omine Deus omnipotens, qui Moysen, famulum tuum, ornamenta & linteamina facere per quadraginta dies docuisti; quæ etiam Maria texuit & fecit in usum ministerii & Tabernaculi fœderis: benedicere **+**, sanctificare **+**, & consecrare **+** digneris hæc linteamina, ad tegendum involvendumque Altare gloriofissimi Filii tui, Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *Resp.* Amen. *Deinde aspergit ea aquâ benedictâ.*

*Benedictio Corporalium.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**C**lementissime Domine, cuius inenarrabilis est virtus, cuius mysteria arcannis mirabilibus celebrantur: tribue, quæsumus,

ut